

Martinus vocabatur, qui in extremis paulò antequam de-
cederet assistenti Matri ait: *Cede parens; nonne vides, fratres adve-
nire cum Cruce, & Dominam quamdam permagnificam lineam mibi
Rosarij offerentem?*

Cum in Thecoacam agerent Christiani in Hospitio pri-
mum, essentque aliò profecti, ait quidam ejus Oppidi Indigena fo-
cijs: *Nunc maximè Christiana religione, fratres, vivendum est, cum
soli sumus, & testes fidei nostræ Christianos non habeamus.*

Sed dices: *Nullò teste res gesta probatur; quasi & testes
ipsi mentiri non possint.* Rursum: *In judicio humano res est nullius
ponderis, aut momenti; quasi verò super hoc humanum judicium
requiramus, & non divinum potius admiremur, quo velle omni-
potens in novo nascentis Ecclesiæ Cæspite fructum promittere, ac
miracula suscitare, quæ apud Sanctos, quos ab antiquo venera-
tur Ecclesia, penitus florere: Suffragatur tamen huic Nationi ma-
ximè hic mos duplici de causa, tenuitate victus, vilitate, & sim-
plicitate vestitus, humilitas, & obedientia genti innata, quibus nul-
læ regiones Mundi abundant, sicut ista.*

Quia explicuisse videor, Beatissime Pater, quæ mea dice-
re, quæque tua audire intererat super Emporio Indico, id est,
earum Commercio rerum, quæ Creator, & Plasmator omnium
sua providentia præparaverat in termino jam labentis sæculi, in
quo fines sæculorum devenerunt, reliquum est contestari Sancti-
tatem tuam, Paule Beatissime, Doctor gentium, ne tantam nactus
occasionem, segnitiei, aut torpori locum des, quominus id agas, ut
omnes nos commonefacias, exhorteris, excites, atque promoveas,
ne in tam excelsi Opificis opere dormire, sed vigilare, & non
segniter agere studeamus. Hoc tibi ipsi in primis persuadeas, San-
ctissime Pater, velim; ex quo Evangelij veritas in Mundum efful-
gere cœpit, id est, nostra felicitas declarari, quòque Dei in filios
per gratiam Liberatoris adoptati sumus, post promulgatam per
Aposto-

Apostolos, Ducès, ac Præceptores nostros, salutis viam, nihil un-
quam pensi majoris (quod sciam ego) in Ecclesia extitisse Ca-
tholica, quam hæc apud Indos talentorum dispensatio. Si enim
pro caducis, fragilibus hujus miseræ vitæ rebus tantopere labora-
mus, quantò magis niti debemus Universi, te duce, Paule Beatif-
sime Pater, ne oblatam impræsentiarum opportunissimam benè ge-
rendæ rei facultatem desidia, ac negligentia nostra perdamus?

Videant Universi in Apostolico pectore nihil gratius infi-
dere, quam huic tanto negotio vi omni, & nisu, nutu, voce, voto
te velle fideles tuos excubare, adesse, vigilare, & qua parte nobis
verbi ostium (ut ait Apostolus) apertum est, illuc plurimos Ope-
rarios destinare, quò, in sæcundo hujus Indiæ Cæspite, centeno
consurgat spica fructu, quæ divitem spem alat, charitatem augeat,
fidem sustentet. Tantò Idololatrias alacriori animo, & ampliori ar-
dore certemus ad nostræ professionis vexilla colligere in *Afsia*,
quantò Turcharum in Europa sævitiam in nostros amplius cerni-
mus debacchari. (*) Hinc aurum eruamus ex visceribus fidei In-
dorum. Istud aurum mittamus in subsidium Militum nostrorum.
Longè ampliores ab India terminos à Diabolo arripiamus, quam
ipse cum Mahumetanis suis nobis subducat ex Europa.

Duplici Dæmonum muros ariete quatiamus, ut hinc ab
eorum possessione antiqua indigenas eruamus, & istinc auro eru-
to eisdem ab Europæ finibus excludamus; promoveantur, Rex
Christe bone, fidelium tuorum termini; Esaïæ vaticinium implea-
tur jam: *Ecce isti de longe venient; ecce illi ab Aquilone, & mari,
& isti de terra australi. Laudate cœli, & exultet terra; jubilate
montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum, & pau-
perum suorum miserebitur. Et dixit Sion: Dereliquit me Domi-
nus, & Dominus oblitus est mei, & infra: Leva in circuitu oculos
tuos,*

(*) Venerabilis, & Sapiens Senex, hanc nostram Septentrionalem Americam Afsiæ
continuari, odoratus est.

tuos, & vide: Iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Ego vivo (dixit Dominus) quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos, quaſi ſponſa; quia deſerta tua, & ſolitudines tuæ, & terra ruinae tuæ nunc anguſta erunt præ habitatoribus, & longè fugabuntur, qui abſorbabant te.

Si tanta diligentia Dominus Jeſus Chriſtus, Deus, ac Liberatoꝝ noſter, Thomam Indos adire perſuadet renitentem, ac dicentem: *Quocumque mitte me præterquam ad Indos: Et Bartholomeum*, qui ibidem Dæmones mirabiliter torſit, Indosque ad fidem convertit, eorum divitias reſpuens, ac fidei Evangelicæ potiores aurofodinas, quas ſequerentur, oſtendit, & Te, Sanctiſſime Pater, Imperatoꝝ tuum Deum imitari, æmulari, comitari convenit, cùm illum milites ſuos Apoſtoloſ in Indos deſtinantem, ac penè urgentem videas. Sed dices: Non credent Idololatræ Chriſto, non parebunt Evangelio: *Crediderunt* (inquit in geſtis Apoſtolicis Lucas) *prædicante Paulo, quotquot prædeſtinati erant à Deo ad vitam æternam*; nullus certè non credidit ex prædeſtinatis.

Quàm verò libenter fidem ſuſcipiant, Prædicatoꝝ revereantur, & audiant, Eccleſias ædificent, religioſis ſubdantur Indi iſtius Novæ Hiſpaniæ, teſtes ſumus omnes, qui inter iſtos verſati ſumus; de valde autem diſtantibus ab hujus Provinciæ terminis à Venerabili Patre Fratre Bernardino de Minaya, nunc Priore Sancti Dominici hujus Civitatis Tenuxtitlan, ſeu Mexico, verum habemus teſtimonium, qui cum duobus ſocijs Religioſis uſque in Provinciam de Nicaragua viam trecentum leucarum, & ampliùs peragravit, Idololatræ docendo, Idola confringendo, & comburendo, vexilla regis Chriſti erigendo, & Eccleſias fundando; ad quæ omnia libentiſſimos, & promptos Indos (qui numquam viderant Religioſos prædicantes eis) invenit, Baptiſmum ſpontaneè petentes, cum laureolis roſeis; cibo, & potu ei obviantes, viasque ampliãtes, atque tergentes, & ſuo modo cum gratiarum actione dicentes: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Sta-

Stabilem quippe *Comitem* (quem Reges Sæculi appellant) (*) Te Supernus, Cœleſtisque Rex conſtituit, ut circa ſtationem tuam pervigil ſemper inſiſtas; huc tamen, & illuc, ubi major neceſſitas poſcat, tranſmittendos milites, ac Comites tuos, veſtimentaque, & alimenta gregarijs tuis diſtribuere debes, ne ſi ſtipendiorum inopia, Equitum, Peditumque penuria res militaris ſegniùs agatur, minùsque procedat, Imperatoꝝ culpa adſcribatur; id Te agente, ut confidimus, Coronam (ſicut par eſt) reportaturo beatam.

(*) Summum Pontificem appellat *ſtabilem Comitem* (vulgò *Condeſtable*) ob quamdam ſimilitudinem Officiorum.

BULA DE EL SEÑOR PAULO III. dada en favor de los Indios.

PAULUS Epiſcopus Servus Servorum Dei Venerabilibus Fratribus, Univerſis Epiſcopis Occidentalis, & Meridionalis Indiæ, ſalutem, & Apoſtolicam Benediſtionem. Altitudo Divini Concilij (quod humana nequit ratio comprehendere) ex ſuæ immenſæ bonitatis eſſentia, aliquid ſemper ad Salutem Humani Generis pullulans, tempore congruo, & ſoli ſuo ſecreto miniſterio (quod ipſe Deus novit) opportuno producit, & manifeſtat, ut cognoscant mortales ex ſuis meritis tamquàm ab ipſis, nihil proficere poſſe, ſed eorum ſalutem, & omne donum gratiæ ab ipſo Summo Deo, & Patre luminum provenire. Sanè cùm ſicut (non ſinè grandi, & ſpirituale mentis noſtræ lætitia) accepimus, quàm plures Incolæ Occidentalis, & Meridionalis Indiæ, licèt Divinæ ſint legis expertes, Sancto Spiritu tamen coo-

perante illustrati, errores, quos hactenus observarunt, penitus ab eorum mentibus, & cordibus abjecerint, ac Fidei Catholicæ veritatem, & Sanctæ Ecclesiæ unitatem amplecti, & secundum Riturum ejusdem Romanæ Ecclesiæ vivere desiderent, & proponant; Nos, quibus omnes Oves divinitus sunt commissæ, cupientes eas, quæ extra verum Ovile (quod est Christus) sunt, ad ipsum Ovile, ut fiat ex illis unus Pastor, & unum Ovile, perducere, ac Sanctissimorum Apostolorum, qui nobis verbo, & exemplo Pastoralis Officij formam tradentes, nascentis Ecclesiæ infantiam lacte, provectam verò ejus ætatem solido cibo nutrierunt, vestigijs inhærendo, novellas plantationes ipsius Ecclesiæ, quas in dicta Occidentali, & Meridionali India, Altissimus plantare dignatus est, sic donec coalescant, ut non omnia, quæ per Orbem Ecclesia jam firmata custodit, illis custodienda mandemus, sed tanquam Parvulis in Christo aliqua Paterno affectu indulgeamus, confovere. Ac circa eorum regenerationes nonnulla (ut etiam accepimus) suborta dubia primitus fortè submovere volentes, matura sub hoc deliberatione præhabita Authoritate Apostolica nobis ab ipso Domino Nostro Jesu-Christo per Beatum Petrum, cui, & Successoribus suis, Apostolatus Ministerij dispensationem commisit, tradita, tenore præsentium decernimus, & declaramus illos, qui Indos ad Fidem Christi venientes, non adhibitis Cæremonijs, & Solemnitatibus ab Ecclesia observatis, in Nomine tamen Sanctissimæ Trinitatis baptizaverunt, non peccasse, cum, consideratis tunc occurrentibus, sic illis bona ex causa putamus visum fuisse expedire. Et fortè deficit, ut hujusmodi novellæ plantationes quantæ Dignitatis lavacrum regenerationis, quantumque ab illis lavacris, quibus antea in sua infidelitate utebantur, differat, non ignorent; statuimus, ut qui in posterum extra urgentem necessitatem Sacrum Baptisma ministrabunt, ea observent, quæ à dicta Ecclesia observantur, oneratis super tali necessitate conscientijs eorum; extra quam

quam quidem necessitatem, saltem hæc quatuor observentur; primum, Aqua Sacris actionibus sanctificetur. Secundum, Cathecismus, & Exorcismus fiat singulis. Tertium, Sal, Saliva, Capillum, & Candela ponatur duobus, vel tribus, pro omnibus utriusque sexus tunc baptizandis. Quartum, Chrisma ponatur in vertice capitis, & Oleum Cathecumenorum ponatur super cor viri Adulti, Puerorum, & Puellarum; Adultis verò Mulieribus ponatur in illa parte, quam ratio pudicitix demonstrabit. Super eorum Matrimonijs hoc observandum decernimus, ut qui ante Conversionem plures juxta illorum morem habebant uxores, & non recordantur, quam primò acceperint, Conversi ad Fidem unam ex illis accipiant, quam voluerint, & cum ea Matrimonium contrahant per verba de præsentibus, ut moris est; qui verò recordantur, quam primò acceperint, alijs dimissis, etiam retineant. Ac eis concedimus, ut conjuncti etiam in tertio gradu tam consanguinitatis, quam affinitatis, non excludantur à Matrimonijs contrahendis, donec huic Sanctæ Sedi super hoc aliud visum fuerit statuendum. Et circa abstinentiam ab illis suscipiendam etiam statuimus, quòd in Vigilia Nativitatis, & Resurrectionis Domini nostri Jesu-Christi, & omnibus sextis ferijs Quadragesimæ jejuna teneantur. Ceteros verò Jejunijs dies, eorum beneplacito propter novam ad Fidem eorum Conversionem, & ipsius Gentis infirmitatem permittimus, ita quòd jejunium repugnans sanitati, vel non benè quadrans officio, vel exercitio alicujus, non censeatur illi ab Ecclesia præceptum. Eisque etiam concedimus, quòd quadragesimalibus, & alijs prohibitis Anni temporibus Lacticinijs, Ovis, & Carnibus, tunc temporis dumtaxat vesci possint, cum ceteris Christianis ob aliquod Sanctum opus obeundum similibus cibis vesci posse à Sede Apostolica pro tempore fuerit concessum. Dies autem, in quibus eos volumus à servilibus operibus cessare, declaramus esse omnes dies Dominicos, ac Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ,

niæ, Resurrectionis, & Ascensionis, ac Corporis ejusdem Domini nostri Jesu Christi, & Pentecostes; nec non Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis Gloriosæ Dei Genitricis Virginis MARIÆ; ac ejusdem Beati Petri, & Pauli ejus Coapostoli; ceteros verò dies festos, ex causis supradictis, illis indulgemus. Et insuper considerantes maximam ipsius Indiæ Occidentalis, & Meridionalis, à Sede Apostolica distantiam, tam vobis, qui in partem Apostolicæ Sollicitudinis assumpti estis, quàm ijs, quibus super hoc vices vestras Authoritate per Nos vobis super hoc concessa, specialiter duxeritis committendas, omnes noviter conversos prædictos in quibuscumque Sedi Apostolicæ reservatis casibus, etiam in Literis in die Cœnæ Domini legi consuetis (nihil nobis de illorum absolutionibus reservantes) Authoritate Apostolica, injuncta eis Pœnitentia salutari, in forma Ecclesiæ consueta, prout prudentiæ vestræ videbitur expedire, absolventi plenam, & liberam à dictæ Sedis beneplacito facultatem concedimus. Et postremò, ne isti in Christo Parvuli malis exemplis corrumpantur, quòd aliquis Apostata in illis partibus se conferre non præsumat, sub Excommunicationis latæ sententiæ pœna, à qua, nisi post suum istinc recessum absolvi nequeat, decernimus; vobis nihilominus injungentes, ut ipsos Apostatas ex vestris Diocœsibus omninò expellatis, & expellere satagatis, ne teneras in Fide Animas corrumpere, & seducere possint. Et quia difficile foret, præsentis Literas nostras ad singula loca, ubi opus fuerit, deferre, volumus, & eadem Authoritate Apostolica decernimus, quòd ipsarum Literarum transumptis, manu alicujus Notarij Publici subscriptis, & sigillo alicujus Episcopi munitis, eadem Fides prorsus in judicio, & extra judicium adhibeatur, sicuti adhibetur Originalibus Literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscumque. Datis Romæ, apud Sanctum Petrum,

trum, Anno Incarnationis Dominicæ MDXXXVII. Kalend. Junij, Pontificatus nostri anno tertio. = Blossius B. Motta.

OTRA BULA DE EL SEÑOR PAULO III.
 por la que declara capaces á los Indios de los Santos Sacramentos de la Iglesia, contra la opinion de los que los tenían por incapaces de ellos.

PAULUS Papa Tertius Universis Christi Fidelibus præsentis Literas inspecturis Salutem, & Apostolicam Benedictionem. *Et infra.* Veritas ipsa, quæ nec falli, nec fallere potest, cum Prædicatores Fidei ad Officium Prædicationis destinaret, dixisse dignoscitur: Euntes docete omnes Gentes, omnes dixit, absque omni delectu, cum omnes Fidei disciplinæ capaces existant. Quòd videns, & invidens ipsius humani generis æmulus, qui bonis operibus, ut pereant, semper adversatur, modum excogitavit hætenus inauditum, quo impediret, ne Verbum Dei Gentibus, ut salvi fierent, prædicaretur, ac quosdam suos Satellites commovit, qui suam cupiditatem adimplere cupientes, Occidentales, & Meridionales Indos, & alias Gentes, quæ temporibus istis ad nostram notitiam pervenerunt, sub prætextu quòd Fidei Catholicæ expertes existant, uti bruta animalia ad nostra obsequia redigendos esse, passim asserere præsumant, & eos in servitutem redigunt, tantis afflictionibus illos urgentes, quantis vix bruta animalia, illis servientia, urgeant; Nos igitur, qui ejusdem Domini nostri vices, licet indigni, gerimus in terris, & Oves gregis sui nobis commissas, quæ extra ejus Ovile sunt, ad ipsum Ovile toto nixu exquirimus, attendentes Indos ipsos, utpote veros

homines, non solum Christianæ Fidei capaces existere, sed, ut nobis innotuit, ad Fidem ipsam promptissimè currere, ac volentes super his congruis remedijs providere, prædictos Indos, & omnes alias Gentes ad notitiam Christianorum in posterum deventuras, licet extra Fidem Christi existant, sua libertate, & dominio hujusmodi uti, & potiri, & gaudere, liberè, & licitè posse, nec in servitutem redigi debere, ac quidquid secus fieri contigerit, irritum, & inane, ipsosque Indos, & alias Gentes Verbi Dei prædicatione, & exemplo bonæ vitæ ad dictam Fidem Christi invitatos fore, Authoritate Apostolica per præsentès Literas decernimus, & declaramus, non obstantibus præmissis, ceterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ Anno 1537.

Quarto Nonas Junij, Pontificatus nostri
anno tertio.



CONSTITUCIONES

DE EL

ARZOBISPADO, Y PROVINCIA

DE LA

MUY INSIGNE, Y MUY LEAL

CIUDAD

DE

TENUXTITLAN,

MÉXICO

DE LA NUEVA ESPAÑA.

CONCILIO PRIMERO.